

unum quoddam Ens infinitum supra omnia Entia, adeoque à parte rei & debiti conceptus coincidunt, DEUM esse atque unum esse, distinctæ tamen sunt formales rationes Existentiæ & Unitatis, distincta etiam media probandi vel in illam, vel in hanc formaliter tendentia; quicquid sit de consecutivo huic vel illi rationi annexo.

XV.

Tandem *tertio*, temeraria videtur ultima assertio, nam ita 1. dicitur Apostolo scribitur, qui causam potentissimam sapientissimam optimam omnium eorum, quæ sunt ex *πνεύμασι* relucens DEUM esse asserit agnoscendum & colendum à gentilibus; atque hæc duo sibi identificat. 2. Non videmus, quæ aliquid possit constitui superius in ratione finis, quod non habeat unam rationem causæ Efficientis, idem enim, quæ summe bonum ut est finis omnium, ita quæ omnipotens omnium causa est efficiens. 3. Exemplum fictionis illius à duobus angelis non quadrat, ob falsam hypothesin annexam, quasi sint entia per se necessaria, cum præter unum necessarium nullum detur, fingenti v. plura Entia increata nullum ordinem causæ inter se habentia, & angelorum exemplo, thesin confirmaturo incumbit illa necessitatis æque confictæ probatio, ut nihil dicam multo minus esse cognitam angelorum existentiam, instantiæ loco repositam existentia Numinis duplici medio confirmata. Sed de his forsitan pluribus in sequentibus contra atheismum discursibus.

XVI.

Non multum abludivit opinio Vasquezii ab impietate Alliacensis: Supponit enim *primò* Scripturam contendere quidem, semper fuisse sufficiens DEI testimonium, ex mundi fabricâ, præscindere autem à gradu illius notitiæ, quod partim falsum, partim contradictorium, *falsum*, ut patebit ex sequentibus, *contradictorium* verò, quia sufficiens esse testimonium è lumine naturæ, nec tamen evidens, seipsum evertit, si enim sufficiens est in negotio conscientiæ, si in assensum rapit naturaliter, si ad unum oppositorum infallibiliter mentem determinat, utique evidentiâ suâ non destituetur.

XVII.

Quæ reponit *secundò* ad nostra argumenta in caducum inclinant parietem, falsum vocem *καθ' ἑαυτὴν*, Rom. I. v. 20. quamlibet notitiam
cum